

Ioannis Iacobi Breitingeri disquisitio critica de examine dubiae n.t. lectionis rite instituendo : exemplo Matth. VI: 13

Autor(en): **Breitinger, Johann Jakob**

Objektyp: **Article**

Zeitschrift: **Museum Helveticum ad iuvandas literas in publicos usus apertum**

Band (Jahr): - **(1750)**

Heft 18

PDF erstellt am: **22.07.2024**

Persistenter Link: <https://doi.org/10.5169/seals-394669>

Nutzungsbedingungen

Die ETH-Bibliothek ist Anbieterin der digitalisierten Zeitschriften. Sie besitzt keine Urheberrechte an den Inhalten der Zeitschriften. Die Rechte liegen in der Regel bei den Herausgebern.

Die auf der Plattform e-periodica veröffentlichten Dokumente stehen für nicht-kommerzielle Zwecke in Lehre und Forschung sowie für die private Nutzung frei zur Verfügung. Einzelne Dateien oder Ausdrucke aus diesem Angebot können zusammen mit diesen Nutzungsbedingungen und den korrekten Herkunftsbezeichnungen weitergegeben werden.

Das Veröffentlichen von Bildern in Print- und Online-Publikationen ist nur mit vorheriger Genehmigung der Rechteinhaber erlaubt. Die systematische Speicherung von Teilen des elektronischen Angebots auf anderen Servern bedarf ebenfalls des schriftlichen Einverständnisses der Rechteinhaber.

Haftungsausschluss

Alle Angaben erfolgen ohne Gewähr für Vollständigkeit oder Richtigkeit. Es wird keine Haftung übernommen für Schäden durch die Verwendung von Informationen aus diesem Online-Angebot oder durch das Fehlen von Informationen. Dies gilt auch für Inhalte Dritter, die über dieses Angebot zugänglich sind.

JOANNIS JACOBI BREITINGERI
DISQUISITIO CRITICA

de Examine

DUBLÆ N. T. LECTIIONIS

rite instituyendo :

Exemplo MATTH. VI: 13. illustrata.

§. I.

Subsidia critica, quibus omnis Lectionis varietas, quæ quidem in N. F. Codicibus occurrit, dijudicanda venit, sunt vel *Codices MSS.* vel *Translationes antiquæ*; Vel *Commentarii ac Scripta Patrum Ecclesiasticorum.* Atque hæc ipsa Subsidia, quibus omne de variantibus Lectionibus in N. T. Libris obviis iudicium constat, spectari itidem debent, tanquam totidem munimenta ac præsidia, quibus Deus S. Lectionis integritatem & certitudinem factam tectam præstare voluit. Potuisset quidem Deus, si ita ipsi visum fuisset, alia ratione intemeratæ Lectionis certitudinem in Ecclesia sua conservare, atque nos de illa sine opera nostra persuadere: si aut ipsos Virorum Θεοπνεύτων Codices ἀπογράφες ad nos illibatos transmittere voluisset; ita enim nobis integrum fuisset omni tempore ad hanc normam cætera N. F. exempla exigere ac castigare: aut si ipsos Librarios, qui in describendis Codicibus operam suam locarunt, infallibiles & ἀναμαρτήτους præstitisset; tunc nulla in Lectione varietas orta fuisset. Atqui horum

rum neutrum citra miraculum effici potuisset; Deus vero hoc impendio nunquam solet abuti, quoad per viam naturalem & ordinariam fines, quos sapienter intendit, obtinere potest. Quandoquidem igitur Deo, cui ut sacræ Læctioni in Ecclesia sua semper constet fides non perinde est, placuit, mature [*] nobis primorum & authenticorum Codicum usum subtrahere, atque etiam permittere, ut hominum culpa & injuria dubiæ Læctionis varietas induceretur, non superest dubium, quin Deus ordinariis his præsiidiis Sinceritati Læctionis sacræ, absque interposito miraculo satis consultum atque provisum esse statuerit, si quidem homines non tæderet operæ, quam in scrutandis, examinandis ac dijudicandis veris Læctionibus ponere necesse foret. Adeoque non fallor, si mihi persuadeam, quum Deus solam hanc veræ Læctionis cognoscendæ viam, quæ cum nostro studio ac labore conjuncta esset, nobis reliquam fecerit, ejus consilium fuisse, non insolita aliqua ratione nobis extorquere fidem, sed nostram judicandi facultatem atque solertiam exercere, & Critices sacræ studia, quæ legitimo Subsidiarum usu constant,

[*] Seculo adhuc III. exeunte quædam S. Virorum *Ἀυτοῖγραφα* extitisse fidem facere posset Fragmentum de Paschate antiquissimum, quod PETRO ALEXANDRINO a plurimis tribuitur, quodque DIONYS. PETAVIUS sub fin. Uranologii f. 397. publicæ luci exposuit: Hoc ad Jo. XIX. 14. hæc habet: ΩΡΑ ΗΝ ΩΣΕΙ ΤΡΙΤΗ, καὶ οὕτως τὰ ἀκριβῆ βιβλία περιέχει, αὐτὸ τε τὸ ἰδιόχειρον Ἰωάννη τῆς Ἐυαγγελιστῆς, ὅπερ μέχρι τῆς νῦν πεφύλακται, χάριτι Θεῆ, ἐν τῇ Ἐφεσίων ἁγιωτάτῃ Ἐκκλησίᾳ, καὶ ὑπὸ τῶν πιστῶν ἐπιεῖσε προσκυνεῖται. Quanquam aliquantum suspecta sit hujus Testimonii fides.

stant, & sine quibus de Lectionis sacrae integritate nulla datur vera ac solida persuasio, Ecclesiae suae commendare: Tantum enim abest, ut haec studia veritati aut Lectionis integritati noxia aut reformidanda sint, ut non alia habeat, quibus se tueri possit praesidia.

§. II. Cum omnis quaestio circa Lectionis sacrae varietatem sit *Quaestio* quam vocant *Facti*, quae proinde non nisi Testium fide nititur, ipsa illa Subsidia critica, quae nobis singulari divina Providentia conservata sunt, tanquam *Testes* spectari possunt, quorum fides secundum principia Logices diligenter est exploranda atque aestimanda. Adeoque non dubito affirmare, quo quis melior fuerit Logicus & theoreticus & practicus, tanto religiosorem eum quoque fore Criticum: eum enim demum religiosi Critici nomine dignum esse censeo, qui quum de integritate Lectionis N. T. in genere fuerit persuasus, quia alias frustra esset in Scripta relata evangelica doctrina, in inquirenda peculiari aliqua, eaque genuina & Apostolica Lectione, nullis praconceptis opinionibus indulget, nihil gratiae, nihil odio dat, sed uni veritati favet, eamque ad liquidum perductam cupide amplectitur; contra vero nullam hodie receptam & usitatam Lectionem pro genuina admittit, nisi quae idoneorum Testium fide fuerit confirmata. Quandoquidem vero omnis Testimonii auctoritas pendet a testantis facultate & fide, nulla quidem *per se* neque aetatis, neque numeri Testium in alterutram partem vis esse potest: Error enim, quanquam in plurima exempla propagatus, adeoque multorum consensu confirmatus, nihil unquam

quam valet contra unius, cuius satis perspecta fides est, Testimonium: atque etiam quum error aliquis possit esse antiquus, veritatis cognitio nulli præscriptionis juri adstringi potest. Quoniam tamen in hoc rerum genere raro ita expeditum est nostrum de Testis facultate ac fide iudicium, ut citra ullam dubitationem in illo possimus acquiescere, non exiguum aliquando potest esse ætatis primum, deinde etiam numeri momentum in recte æstimanda ac metienda Testis auctoritate: Et ætatis quidem vis in eo posita est, 1.] quod omnis genuina Lectio antiquior est quam depravata; & 2.] quod ex ætate subinde non vana nascitur de Testis facultate præsumptio: quum enim omnes Librarii perinde sint erroribus obnoxii, posteriores tamen errores erroribus cumulasse admodum probabile est. Numerus autem eam vim habet, 1.] quod minus credibile est, posse plures in eodem loco & eodem modo errare, 2.] quod fraus aliqua inter plures multo facilius pateat. Atque de utroque hoc momento critico rectissime iudicat Venerandus Abbas BENGELIUS in *Appar. Crit. ad N. T.* p. 379. §. X. „ Solet autem præferri *Antiquitas Codicum & Bonitas & Multitudo*, quæ
 „ dotes sane contemni non debent, conjunctæ
 „ præsertim: imo vero requiri debent; sed tamen
 „ rem non conficiunt: nam sæpe pro utraque
 „ Lectione [raro enim multiplex est,] multi Codes,
 „ qui & antiqui & boni esse dicuntur, militant.
 „ Neque *Multitudo* per se multum valet.
 „ . . . Immo unus Codex manus primæ pluris
 „ est, quam multæ ex eo propagatæ Codicum
 „ catervæ. . . . *Bonitatis* opinio nimis laxa est:
 „ nam qui optimi perhibentur Codes, ii quoque

que ipsi totam ferme Lectionis varietatem continent, adeoque eam non dirimunt. Palmam obtinet *Antiquitas*: nam sane genuina omnis Lectio antiquior est. Sed tamen Antiquitatis jactatio, vereor ut nunquam circulatoria sit: nam tota prope Lectionis varietas longo orta est intervallo ante Græcos Codices hodie superstites: nec refert, quot Secula horum antiquissimus quisque nunc habeat; sed quot Seculis mutationum feracibus a manu distet Apostolica. Plurimum autem illud ab Antiquitate argumentum primis rei Christianæ temporibus valuisse TERTULLIANUS fidem facit *Libr. adv. Marcion. IV: 2.* Ego, inquit, meum dico esse verum, Marcionis suum. Ego Marcionis affirmo adulteratum, Marcionis meum. Quis inter nos determinabit, nisi temporis ratio ei præscribens auctoritatem, quod antiquius reperitur, & ei præjudicans vitiationem, quod posterius revincetur. In quantum enim falsum corruptio est veri, in tantum præcedat necesse est veritas falsum. . . . Alioquin quam absurdum, ut si nostrum antiquius probaverimus, Marcionis vero posterius . . . id verius existimetur, quod est serius? . . . His fere compendiis utimur, cum de Evangeliiis adversus Hæreticos expedimur, defendentibus temporum ordinem posteritati falsariorum præscribentem. Ubi tamen hoc probe notari velim, potiozem illam, quam dixi, ætatis & antiquitatis præstantiam, quotiescunque in Testibus requiritur, tantum non penitus destruere & excludere alterum illud, quod in numero & consensu multitudinis positum est, requisitum, quia antiqui Codices MSS. a recentioribus, & probatissimi a magis depravatis numero longe superari constat.

§. III. Quanquam vero possit aliquis de Sinceritate & Integritate Lectionis sacrae in universum esse persuasus ac certus rationibus quibusdam generalibus, quarum praecipuae sunt, tum quod Deus sine suo, propter quem coelestem doctrinam per ipsos Apostolos in Scripta referri voluit, penitus excideret, nisi agnoscat, omni tempore provida supremi Numinis cura in Ecclesia tot conservata esse Subsidia, quae accedente hominum opera ac industria sufficerent ad veram ac genuinam Lectionem discernendam ac stabiliendam; tum quod in confesso sit, postquam nostra hac aetate pleraque cognoscendae genuinae Lectionis Subsidia doctorum Virorum incredibili studio & curiosa diligentia accurate sunt excussa, evangelicam Jesu Christi & Apostolorum vel fidei vel morum Doctrinam ex tam ingenti variantium Lectionum farragine nullatenus tamen labefactari, immo ne in uno aliquo articulo, qui quidem alicujus momenti sit, ullum detrimentum capere. Quamprimum autem ad singulares circa dubias Lectiones, & utra alteri sit praefenda, Quaestiones descenditur, tunc non amplius sufficit generalis isthaec persuasio, utpote quae nulli ex hodiernis editionibus praeceteris favet, sed in casibus singularibus idoneos Testes deposcit, quorum fides & auctoritas proprio cujusque examine ac judicio satis sit spectata. Itaque in quocunque casu singulari id inprimis sedulo cavere nos oportet, ne ullum Testem in alterutram partem admittamus, cujus qualitatem, quantum quidem fieri potest, non habeamus per omnia, quae fidem alicujus vel augere vel imminuere possunt, momenta exploratam.

§. IV. Quo-

§. IV. Quoniam vero Testes illi, quorum est in hujusmodi causæ cognitione aliqua auctoritas, ad tres Classes, seu ad tria genera referri solent, operæ pretium erit in universum disquirere, quænam singulis Classibus in hoc judicio critico vis atque auctoritas inesse possit. I. Ad primam igitur Classem referuntur MSS. CODICES Græci, qui hoc adhuc tempore in variis Europæ Bibliothecis sunt superstites, quos maximam partem doctorum Virorum cura diligenter habemus recensitos atque cum editis comparatos, ut quodnam singulis vel ab antiquitate, vel a Lectionis puritate pretium sit statuendum, hujus rei cognoscendæ studiosos fugere non possit: Quapropter non admodum difficilis aut impedita esse potest omnis causæ disceptatio, quæ solis his Testibus statve caditve. Quando vero hi Testes a Patrum & antiquissimarum Versionum testimonio disident, atque diversam Lectionem tuentur, tum causæ disceptatio majorem videtur habere difficultatem; quæ tamen facile erit superanda, si Canonem illum criticum, quem acerrimus hodiernæ Lectionis propugnator DAN. WHITBY in *Exam. Var. Lect.* Lib. II. c. I. §. I. p. m. 107. sciscit, sequi in judicando non dubitemus; ubi hunc in modum pronunciat: *Lectioes variantes a MSS. desumptas, quas nec antiqui Patres, nec Græci Commentatores, nec Versiones vetustissimæ agnoscunt, jure optimo rejiciendus esse nemo infitiabitur.* Scilicet cum antiquissimi ex MSS. Codicibus hodie superstites vix sextum a Christo nato Sæculum attingant, ac plerique MSS. Libri DC. DCC. DCCC. DCCCC. annos a primis Apostolorum ἀποστόλων antevertantur, æquum non esse videtur illis majorem tri-

buere fidem, quam vero monumentis tot Sæculis antiquioribus & proxime ab Apostolorum ævo distantibus, ubi in oppositas partes discedunt. Ita quoque quum variantem aliquam Lectionem proxime post Apostolorum ætatem, seu primis rei Christianæ Sæculis jam invaluisse testatum est, exiguum oportet esse MSS. Librorum hodie adhuc superstitem in his cernendis momentum ac iudicium: in quo rursus habeo suffragantem Cl. WHITBY in *Præfat. ad Libr. cit.* ubi in hanc sententiam diserit: „ Ne autem media omnia sustulisse videar, „ ex quibus de Lectione genuina certum, vel saltem idoneum in quo acquiescat iudicium, feratur: „ Dico primo; *Id certum & extra dubium esse videatur, ubi Patres in his rebus versati variasse Lectionem textus pronunciant, variantem ibi Lectionem ante eorum tempora obtinuisse: de qua non aliter iudicium fieri potest, ubi in neutram partem aliquid pronunciant, quam ex priorum Patrum lectione, Versionibus antea conceptis, aut Textus ipsius circumstantiis.* Habent quidem Critici Canonem, qui sciscit, *Id, in quo Græci Codices MSS. iique probatissimi, aut plerique consentiunt, pro genuino esse accipiendam.* Atque omnino huic Canoni quin sua constet ratio in iis rebus, quæ sola MSS. Codicum hodie adhuc superstitem fide nituntur, dubium nullum est. At minus recte illum adhiberi, ubi de aliqua Varietate quæstio est, quæ omnem MSS. Codicum ætatem longe excedit, vel unico, eoque clarissimo exemplo palam faciam: scil. in illa vexatissima & antiquissima quæstione circa *auderlian* loci nobilissimi I. Joh. V. 7. Si quis heic Canonem illum applicare & urgere vellet, atque præ hoc omnem antiquæ Latinæ Interpretationis aut
Patrum

Patrum Latinorum *Tertulliani, Cypriani, &c.* auctoritatem contemnere, actum omnino foret de hoc loco gravissimo: Siquidem in nullo antiquo Codice Græco, qui hodie extat, quantum hactenus apparet, versus iste conspicitur: Contra eum exhibent *Latina Versio* antiqua, *Tertullianus, Cyprianus*. Ex quo clarum est temere prorsus aliquando & ad invidiam concitandum jactari illud: *Quid justius est, an Latinos, ut recentiores, ad Græcos, quippe antiquiores, corrigi; an Græcos propter Latinos litteram pati?* II. Alteram Classem Testium constituunt VERSIONES antiquæ, quæ immediate ex Græco fonte fluxerunt; reliquæ enim quas ex aliis Versionibus esse demum propagatas constat, hic in censum non veniunt. Quum autem Versiones antiquas dico, non intelligo eas promiscue omnes, quales hodie in editis Libris circumferuntur, maximam partem interpolatas, sed in quantum eas sinceras ad nos pervenisse certum est. Ita quum Latinam Versionem antiquam laudo, id non statim ad Vulgatam Ecclesiæ Rom. Interpretationem, variasque ejus editiones trahendum est: Intelligo enim eam Latinam Versionem, quam nobis antiquissimi Ecclesiæ Latinæ Patres passim in suis Commentariis per fragmenta conservarunt, & qualis in multis optimæ notæ Codicibus MSS. supereft. Atque hoc præcipue nomine Latinæ inter cæteras antiquas Versiones primas partes tribuendas esse censeo, quod alia nulla sit, cujus antiqua Lectio tot ex antiquitate fide dignis documentis perinde sit confirmata, aut cujus totidem reliqui sint MSS. Libri; ex quibus quid olim lectum fuerit, possimus cognoscere: De cæterarum enim Versionum, Orientalium maxime, quales in editis nostris Li-

bris repræsentantur, fide & cum prisca Lectione consensu, aut parum nobis constat, aut eas variis modis Editorum licentia interpolatas esse certum est. Horum autem Testium dignitatem in eo positam esse existimo, quod prisca illas Versiones ex optimis Græcis Codicibus, quales antiquitus in Ecclesiis aservabantur, fuisse contactas admodum probabile sit; ut adeo antiqua & sincera cujusque Versionis Lectio, imprimis si Patrum aut aliarum etiam Versionum consensu fuerit confirmata, optimo ejus temporis, quo confecta est, exemplari græco auctoritate æquipollet: ex quo simul manifestum esse arbitror, quantum hujusmodi testimonia iis sint anteferenda, quæ ex sequioris ætatis MSS. Codicibus produci solent. III. Ad tertiam denique Classem Testium, quibus aliqua in confirmanda S. Lectionis N. T. Sinceritate auctoritas tribuitur, pertinent Commentarii & Scripta Patrum ecclesiasticorum. Equidem non ignoro, horum Testium fidem a plurimis hoc nomine suspectam reddi, quod in citandis S. Scripturæ dictis fuerint ut plurimum negligentiores, ut qui sæpissime non consulto Textu sacro e memoria dicta sacra allegaverint, unde mirum non sit, eos subinde aliqua vel addidisse, vel omisisse, vel mutavisse. Sed perinde non ignoro, quo studio alii, & nuperrime imprimis ANSALDUS, hanc accusationem depellere ac diluere sint conati: in quo tamen utraque pars modum excedere mihi videntur, illi in accusando, hi in excusando, dum nullum faciunt neque inter Lectiones sacras, neque inter Auctores ecclesiasticos eorumque Scripta discrimen. Quanquam enim negari non possit, Patres ecclesiasticos in suis ad populum Sermonibus

monibus aliquando sacras quasdam Sententias quoad sensum magis, quam quoad verba retulisse, atque etiam non raro ad scopum suum detorta recitasse: Nihilominus tamen in perpetuis suis Commentariis, quibus aut integrum aliquem S. Librum, aut insignem aliquam Pericopam dedita opera tractandam susceperunt, item in Scriptis accuratioribus sive dogmaticis, sive polemicis, sive catecheticis, in quibus orthodoxæ Doctrinæ causam agunt, illos plerumque summa religione Codicum suorum Lectiones referre, sequi, urgere, magnaque diligentia enucleare, compertum est. Et quot quæso non dantur Patrum allegationes, in quibus nulla ex his erroris aut mutationis suspicionibus locum habere possit? v. c. ubi unus Patrum eandem Lectionem aliquoties eodem modo repræsentat: ubi varietatem Lectionis diserte indicant: ubi ipse nervus orationis una Lectione præ altera nititur: ubi prolixiora quædam dicta pressius recitant &c. &c. Ut taceam inter illos plures extitisse, qui critica plane diligentia in discernendis variis Codicum sui temporis Lectionibus fuerant versati, quo in genere ADAMANTIUS & HIERONYMUS maxime excelluerunt. Quorsum etiam pertinent, quæ Cl. WHITBY de Patrum eccles. singulari studio ac religione in tuenda ac propaganda sincera Lectione in *Præf. ad Exam.* var. L. §. prædicat: ubi inter alia hæc habet:

- „ Patres Græcos, quod doctioribus notum est, con-
- „ stat habuisse ad tempora *Tertulliani* primæva Apo-
- „ stolorum manibus exarata Exemplaria, a tempore
- „ *Origenis & Eusebii* Exemplaria accurata, ad quæ, cum
- „ opus esset, provocare solebant, certa que media,
- „ ex quibus emendatiora a non correctis, accu-

27 rata ab inaccuratis , ab interpolatis genuina di-
 27 stinguere potuerunt. ,, Et mox rursus : ,, Hæc
 27 si quis animo expenderit , ei haud parum veri-
 27 simile censebitur , hos omnes Ecclesiæ Antisti-
 27 tes Libris interpolatis , Scholiis & marginalibus
 27 notis vitiatis , S. Scripturæ textum posteris tra-
 27 didisse. - - - - Nec enim de iis tam aspere ju-
 27 dicare par est , quibus in promptu esset exem-
 27 plaria *ἀκριβέστερα* adire , & quibus nec ingenium
 27 defuit Textum ab his glossematis & scholiis mar-
 27 ginalibus discernendi , nec erga S. Scripturas
 27 ea reverentia , quæ ipsos ad istam discretionem
 27 faciendam sedulo moveret. ,, Quando autem
 Græcorum Patrum , vel etiam ex Latinis eorum ,
 quos Græcos Codd. secutos esse compertum ha-
 bemus , Commentarios in idoneorum Testium nu-
 merum adscribo , nolim ego de his iudicium fie-
 ri ex omnibus hodiernis promiscue editionibus :
 multi enim Editores posthabita Lectione , quam
 MSS. Libri referebant , in S. Textibus ad hodie-
 nam Græcam aut etiam Vulgatam N. T. Versio-
 nem & Lectionem refingendis nihil non sibi indul-
 serunt , quo factum est , ut Patrum Scripta eas
 textus S. Lectiones aliquando referant , quibus cum
 subjecta explanatione prorsus non convenit : Ut
 adeo & in his quoque iudicium criticum requi-
 ram , ne pro Patris eccles. Lectione habeatur ,
 aut venditetur , quod ab Editore temere fuerat
 suppositum. Horum autem Testium autoritatem
 in eo esse positam dico , quod hac ratione multo
 certius atque etiam apertius constare possit , quid
 in optimis Græcis istius ætatis Codicibus fuerit le-
 ctum , immo quæ subinde Lectio ab integra Ec-
 clesia fuerit probata , imprimis quando interposito
 iudicio

judicio critico rationes dilucide nobis explicant, quibus in discernendis genuinis Lectionibus fuerant usi: In genere vero plura nobis de his cognita sunt, ex quibus potest ferri iudicium de eorum facultate, doctrina, diligentia, fide, quam vel de Translationum autoribus, vel de Librariis, qui ut plurimum in obscuro sunt, comperta habemus. Latinæ autem Ecclesiæ Patrum testimonio in univèrsam non majora tribuo, quam quæ primæ illi Translationi, quam quemque eorum secutum esse certum est, debentur: nisi ubi ex testimoniorum consensu perspectum habemus, Lectionem aliquam ab integra Ecclesia Latina fuisse susceptam ac defensam; quia haud iniquum esse censemus plura tribuere univèrsæ alicui Ecclesiæ, quam privato cuique doctori: Quamquam solus Ecclesiæ consensus veritatem Lectionis per se non sufficienter probare possit. Cum his fere consona sunt, quæ habet vener. BENGELIUS in Appar. crit. p. 414. *Recentiores Patres Græci, singuli fere Codicibus Græcis singulis æquiparari possunt; Latini, Latinis. Antiqui vero & Græci & Latini excellentem habent auctoritatem: Multas ii longe vetustissimas apocryphas lacinias ex monumentis, quæ cito intercidere, proferunt: atque ut ab Hæreticorum & doctorum minus conspicuorum, sic ab Apostolorum Codicibus primævis quam proxime abfuerunt, & per impostorum versutiam excissimulati, Codicum sinceritatem vigilantissime curaverunt.*

§. V. Postquam hæc hæctenus præfatus sum, faciam nunc bona cum Lectoris venia periculum in exemplo Quæstionis criticæ de Clausula O. D. apud Matthæum, cujus Quæstionis momenta in

utramque partem ita expendam, ut iudicium nullum mihi sumam, sed cuique veritatis studioso id integrum relinquam. Singularem esse hujus varietatis rationem agnoscit etiam Cl. WHITBYUS, quapropter eam inter insigniores & majoris momenti Variantes relatam peculiari tractatione Lib. II. Cap. I. Sect. I. cum aliis quibusdam N. T. locis sub examen revocavit, ejusque vindicias instruxit. Antequam vero ipsos in utramque partem Testes audiamus, animus est paulo diligentius inquirere, in quo posita sit peculiaris hujus Varietatis ratio, & in utram partem major probabilitatis species appareat, si ex sola possibilitate iudicium ferendum sit: Datur enim sæpissime in alterutram partem facilius lapsus & errandi copia, multoque sunt manifestiora & magis probabilia erroris indicia in hanc quam in alteram suspicionem. Jam vero isthæc varietas circa O. D. Clausulam apud Matthæum, non versatur in levi aliqua unius vocalæ aut locutionis omissione, vel transpositione, aut mutatione; sed in integræ alicujus pericopæ Sinceritate vel admittenda, vel rejicienda, & quidem ejuscemodi pericopæ, quæ ex communi alterius partis sententia non exiguam partem constituat ejus Formulæ, quæ inde ab ipsis Apostolorum temporibus in Ecclesia Christiana a singulis fidelibus publice privatimque frequenter fuerit usurpata & ex memoria recitata. Cum autem isthæc varietas efficiat, ut alii Clausulam istam in quibusdam libris temere additam; alii per incuriam omisam arguantur, quæritur, utra suspicio per se spectata majorem habeat probabilitatis speciem, quantum quidem intelligi potest, si spectemus, non quid re vera fide testium factum esse constet, sed

sed quid fieri potuerit. Jam vero dicant nobis quam probilitatis fidem mereatur ista opinio, quæ Librariis, idque jam secundo post C. N. Sæculo, tantam tribuit oscitantiam, ut potuerint in describenda Formula ipsis adeo familiari & quæ vel oscitantibus sæpe excidat, tam insignem ejus particulam silentio transmittere: Dicant, qui fieri potuerit, ut hoc errore semel admisso idem in tot alia transfusus sit exempla, nullo vel Librario vel Lectore errorem in tam insigni defectu animadvertente: quinimmo & hoc concedant necesse est, potuisse tam apertum omnibus errorem ita invalescere, ut universa quam late patuit Ecclesia Latina, oblitterata pristinæ ac cottidianæ Formulæ integritate ac memoria, illum plena fide & communi assensu reciperet, nemine unquam ullum defectum suspicante aut errorem subolfaciente. Opposita contra hypothesis, quæ hanc Clausulam doxologicam Orationis formulæ apud Matthæum IV. demum post C. N. Sæculo a Librariis additam conjicit, fidem sibi exinde vult conciliare, quod perhibet, tum hanc Clausulam O. D. in publicis Ecclesiæ liturgicis libris fuisse receptam atque communi usu non minus tritam, quam fuerit ipsa O. D. formula; tum vero in publico Ecclesiæ usu cum Oratione Dominica plerumque fuisse conjunctam: & quoniam illis temporibus non adeo proclive fuerit omnibus in publico orationis usu accurate discernere, quæ divino præscripto & quæ Ecclesiæ auctoritate essent consecrata; facile hanc Clausulam ex publicis Ecclesiarum Codicibus in privatos transire ac propagari potuisse; maxime cum etiam sæpe a doctis & doctoribus hæc promiscue fuerint habita, ac non ita, ut par erat, ab
 invicem

invicem distincta, quod vel *Chrysofomi* exemplo videri possit.

§. VI. Sed quoniam hic de facto quæritur, non de jure aut modo possibilitatis, age ipsos Testes in utramque partem audiamus: Non autem infra Sæculum a C. N. sextum descendemus, quia ab origine hujus Varietatis longius remoti in hac causa non eam auctoritatem habent, quæ ab idoneis testibus requiritur. Prodeant ergo καθεξῆς Græcæ Ecclesiæ Patres, & primus inter illos ORIGENES, cujus extat περὶ εὐχῆς Libellus, quem circa annum post C. N. CCXXXI. fuisse conscriptum communis fert opinio. In hoc Libello τὴν ὑπογραφεῖσθαι ὑπὸ τῆς Κυρίας προσευχὴν *Adamantius* secundum *Matthæi* & *Lucæ* Textum §. 18. propositam deinceps per partes diligenter explanat. At vero in tota hac tractatione hujus Clausulæ neque vola neque vestigium ullum apparet, ut videatur eam penitus ignorasse. Jam vero frustra hic est omnis suspicio, qua quidam Patrum auctoritatem imminuere satagunt, quasi non ex inspecto textu Codicis, sed ex memoria negligentius, conceptam Orationis formulam allegaverit: vel sola Libelli inspectio omnem hanc suspensionem funditus evertit, ubique enim plus quam critica diligentia *Matthæi* ac *Lucæ* λέξεις inter se comparat, hinc ad singula fere tractationis τμήματα legas hujusmodi formulas: Ὁ Λυκάς ταῦτα παρασιώπησας ἔταξε. Ἡ ὡς ὁ Λυκάς. Τὸ δὲ παρὰ τῷ Λυκᾷ σεσιώπηται. Non autem defuisse Origeni optimorum Codicum copiam, non defuisse facultatem, ingenium κρημνώτατον, sensumque in Scripturis exercitatum supra jam testatum dedimus, & a nemine, quod sciam,

in dubium vocatur: Hinc ejus N. T. *Eudoris* tanto jam olim in pretio fuit habita, ut passim omnium frequentissime describeretur. Quidni igitur ejus testimonium amplius valeret, quam unius ejus temporis Græci Codicis suffragium? At, inquis, ejus ego testimonium nullum audio; altum de Clausula tenet silentium. Est ita; sed hoc ipsum silentium luculentissimum præbet testimonium, eum Orationem Dominicam, quam ex professo enarrandam susceperat, absque Doxologia, pro integra habuisse, & hanc partem deinceps additam prorsus ignorasse: Fac enim Clausulam in ipsius Codicibus fuisse lectam, aut tanquam partem integrantem O. D. tum temporis promiscue usurpatam; quam mihi dabis idoneam rationem, ob quam ausus fuerit in sua de precibus institutione usitatam & familiarem hanc formulam eximia aliqua parte truncare? Istum vero Origenis Libellum habemus accuratissime ad fidem *MSC. Holmiensis*, nunc *Collegii S. Trinit. Cantabrigiæ* recensitum; & quanquam hunc Codicem, præter quem non aliud integrum exemplum usquam extare testis est novissimus Operum Origenis editor R. P. *CAROLUS de la RUE*, lacunis hiare non paucis ipsa Editorum confessione constat, nullam tamen fidem inveniet callida suspicio, quasi forte ex unico hoc *MSC. Codice* hujus Clausulæ tractatio exciderit: Primo enim qui *MSC. Codicem* recensuerunt, fidem suam nobis etiam hoc documento probarunt, quod lacunas & hiatus in Codice obvios diligenter annotarunt, nihil autem eo in loco, ubi hæc Clausulæ tractatio desideratur, deesse annotatum legimus: Deinde non uno loco tantum, sed bis hanc Clausulam excidisse oportet,

ret,

ret, tum in eo loco, quo formulam ex Matthæo integram exhibet, tum in fine tractationis cum tota illius expositione. Neque cum aliqua specie verisimilitudinis dici potest, Textum O. D. qualis in hoc MSC. Codice repræsentatur, fuisse aliquando a Librario ad Latinum vel alium Codicem, qui Clausulam non habuerit, castigatum; contrarium enim ex eo manifestum est, quod Textus ille Matthæi in hoc Codice Lectionem aliquam novam conservat & ab ipso *Millio* non annotatam, scil. ὡς καὶ ἡμεῖς ἀφήκαμεν, quam solus Codex *Barb. I.* confirmat. Nec denique Textum ex Matthæo ad Lucam fuisse castigatum, ut melius ipsis conveniret, apparet, cum quod in hujus Codicis textu inter Matthæum & Lucam longe notabilior est differentia, quam in hodiernis nostris Codicibus, quanquam Clausula utrinque desideretur, adeo ut *Origenes* §. 18. ipse dubitet, an non plane diversa sit quam Lucas exhibet precandi formula. Nihil ergo superest, quam ut dicamus *Origenem* in suis Codicibus Clausulam O. D. non legisse, immo ejus ætate eam tanquam partem O. D. non fuisse usurpatam: quod si enim tum temporis in nonnullis Matthæi Codicibus extitisset, aut communi usu fuisset frequentata, certe præcipuam hanc inter Lucæ & Matthæi formulam differentiam, non potuisset alto silentio præterire aut Clausulæ tractationem sine offensione penitus omittere, quasi ea tantum explanaret, in quo Lucæ cum Matthæo conveniat: hoc enim a suo instituto alienum fuisse diserte docet §. 26. Γεννηθη-
το το θελημα σου, ως εν ουρανῳι καὶ επι γης. Ὁ λυ-
κᾶς μετὰ τό. Ελθελο η βασιλεια σου. Ταῦτα παρα-
σιωπήσας ἔταξεν. Τον ἀβρον ημων του επιεσιον διδου
ημιν

ημιν καθ' ημεραν· Διόπερ ἄς προελάξωμεν λέξεις, ὡς
 παρὰ ΜΟΝΩΙ τῷ Μάρθαιῳ κειμένας ἐξετάσωμεν ἀπο-
 λούθως τοῖς πρὸ τούτων. II. Alter Testis est CY-
 RILLUS Hierosolymitanus, Catech. XXIII. Mystagog.
 V. de S. Liturg. §. XI. Εἶτα μετὰ ταῦτα τὴν εὐχὴν
 λέγομεν ἐκείνην, ἣν ὁ Σωτὴρ παρέδωκε τοῖς οικείοις αὐ-
 τοῦ μαθηταῖς, μετὰ καθαρᾶς συνειδήσεως πατέρας
 ἐπιγραφόμενοι τὸν Θεὸν καὶ λέγοντες· ΠΑΤΕΡ ΗΜΩΝ.
 κ. τ. λ. - - - Deinde postquam singillatim & per
 partes totam O. D. enarrasset, hanc tractationem
 ita concludit: Ἀλλὰ ρυσαι ημας απο του πονηρου·
 Πονηρὸς δὲ ὁ ἀτιμειμένος Δαίμων, ἀφ' οὗ ρυθῆναι εὐ-
 χόμεθα. Εἶτα μετὰ ΠΛΗΡΩΣΙΝ τῆς Εὐχῆς λέγεις
 ΑΜΗΝ, ἐπισφραγίζων διὰ τῆς Ἀμὴν, ὃ σημαί-
 νει γένεσις, τὰ ἐν τῇ Θεοδιδάκτῳ Εὐχῇ. Scripsit Cy-
 rillus Catecheses circa annum Christi CCCXLVIII.
 En hic testimonium disertum & nullis dubitationi-
 bus obnoxium, quod Clausula ad integritatem
 O. D. non pertineat: atque ipsum etiam ΑΜΗΝ
 ex usu Liturgico, tanquam Antiphonum, hic
 videri possit adjectum. Habet autem hoc Testi-
 monium tanto majorem vim & auctoritatem, quod
 Catecheses illæ non tanquam privati Doctoris scri-
 ptum considerandæ veniunt, sed tanquam Scri-
 ptum ecclesiasticum, quod publice instituendis fi-
 delibus recens baptizatis inserviret, atque cultus
 publici rationem explicaret; adeoque si pleniorē
 aliquam & perfectiorē O. D. formulam usurpas-
 set Ecclesia Hierosolymitana, Cyrillum Cateche-
 tam in neophytorum institutione tam insignem
 laciniam ei detrahere fuisse ausum, quis sibi per-
 suaserit? Ut taceam in Palæstina, adeoque Cyril-
 lo ad manus fuisse Codices N. T. græcos optimos.
 III. Tertium produco Testem GREGORIUM Nys-
 senm,

senum, cujus extant εἰς τὴν προσευχὴν, in Oratio-
nem Domini Homiliae V. Hic vero Vir ἐλλογι-
μώτατος, qui floruit post medium Sæculum IV.
expositionem totius O. D. hunc in modum con-
cludit. Homil. V. *Quin stantes Deum precemur*: Ne
nos inducas in tentationem, sed libera nos a ma-
lo, a quo liberet nos gratia Dei, ὅτι αὐτῷ ἡ δύναμις,
καὶ ἡ δόξα ἅμα τῷ Πατρὶ καὶ τῷ ἁγίῳ Πνεύματι, νῦν
καὶ αἰεὶ καὶ εἰς τὰς αἰῶνας τῶν αἰώνων. Ἀμήν. Cen-
suit quidem *Millius* Clausulam a *Gregorio Nysseno*
penitus fuisse omissam, quod eam non, ut insti-
tuti ratio & analogia postulasse videbatur, sincere
ac sine ulla admixtione propositam, exegeſi brevi
& perspicua illustrasset: Habuit ergo *Millius* hanc
Doxologias formulam a *Gregorio* adjectam, non
pro O. D. parte, sed pro formula mere liturgica,
qua sæpe aliàs in publicis precibus & sermonibus
uti consueverint. Contra Cl. *Whitby* l. c. p. III.
non omissam a *Gregorio* Clausulam, sed more
Græcarum quarundam Liturgiarum hanc una cum
Doxologia Filii & Spiritus S. simul prolatam esse
sciscit. Adeoque minus certum esse videtur, quid
Gregorius in suo Codice Matthæi legerit. Cæte-
rum, quod *Whitby* fatetur *Gregorium* hic morem
Græcarum quarundam Liturgiarum esse secutum,
non potuit Hierosolymitanam intelligere, a qua
Clausulam abfuisse supra ex *Cyrillo* didicimus: Hæc
autem ipsa opinatio mirifice favet illi doctorum
Virorum conjecturæ, qui sibi persuadent Clausu-
lam hanc ex usu liturgico in publicis precibus Ora-
tioni D. apud Matthæum, & quidem sub ipsum
fere hoc tempus, adhæsisse: Quam conjecturam
non parum juvant, quæ idem *Gregorius* l. c. de
promiscuo usu Doxologiæ in Sacris memorat:

„ Græca

„ Græca Ecclesia, inquit, Orationi Dominicæ
 „ æque subjungit hanc Clausulam, & aliis preca-
 „ tionibus: ut illi, quæ incipit, ὁ Θεὸς, ὁ Θεὸς
 „ ἡμῶν κτλ. Eucholog. fol. σιγ'. B. illi, ἐκ νουκλὸς
 „ ὁρῶν κτλ. fol. ια'. B. &c. &c. . . . Subjungunt
 „ etiam hymnis suis, ut illi, cui titulus Τρισάγιον.
 „ Typic. fol. ξη'. B. col. I. Adhuc magis mani-
 „ festum est: nam invenimus aliquando ὅτι σὺ
 „ ἔσιν, ubi non est Πάτερ ἡμῶν, ut in Typic.
 „ fol. ξη'. B. col. I. & Euchol. fol. κ'. B. Alibi
 „ invenimus Πάτερ ἡμῶν, ubi non est ὅτι σὺ ἔσιν,
 „ ut Typic. fol. ξζ'. A. col. I. κθ'. A. col. I. λδ'.
 „ A. col. I. & 2. Insuper quodocunque imme-
 „ diate, semper tamen distincte recitata inveni-
 „ mus: Et Πάτερ ἡμῶν populi est: ὅτι σὺ ἔσιν Sa-
 „ cerdotis ubique est repetitio. Μετὰ δὲ τὸ, πάτερ
 „ ἡμῶν &c. ἐκφωνεῖ ὁ Ἱερεὺς, ὅτι σὺ ἔσιν. &c. infi-
 „ nitis prope locis. „ Ex quo loco clarum est
 Orationem D. sæpe etiam in publicis Sacris abs-
 que Doxologia fuisse recitatam; quod qui factum
 fuerit, si quidem Doxologiam pro parte Oratio-
 nis D. habuerunt, non intelligo. IV. Denique
 quartum Testem ex Græcis appello CÆSARIUM,
 Gregorii Nanzianzeni fratrem, sub cujus nomine ha-
 bentur Dialogi, ubi Quæstion. XXIX. ait: Οἶον
 ἐνισχύομεν ἐπινικίως τὸν Χριστὸν ἐν τῷ καιρῷ τῆς θείας
 τῶν μουσικῶν τελείης βοῶντες, ὅτι σὸν τὸ κράτος, ἡ
 βασιλεία, καὶ ἡ δύναμις, καὶ ἡ δόξα. Ἴδὲ τὸ ἐνικὸν
 τῆς θείας φύσεως τῆ Πατρὸς καὶ τῆ Ἰουῆ καὶ τῆ ἀγίᾳ
 Πνεύματος. Possset quidem hic locus prima specie
 videri contrariæ sententiæ favere: Sed, uti recte
 judicat vener. Bengelius, vis hujus testimonii in
 eo posita est, quod hanc Doxologiam diserte,
 non ut partem O. D. sed ut partem Liturgiæ pro-

ponir: cum tamen ejus proposito melius inservisset, si pro parte O. D. hanc Doxologiam agnovisset.

§. VII. Prodeant vero nunc etiam quos Latina Ecclesia producit in hanc Sententiam Testes: I. Antiquissimus omnium est TERTULLIANUS, Sæculi II. post C. N. Scriptor celeberrimus, cujus peculiaris extat *de Oratione Liber*, quem in primis Tertulliani Scriptis referendum esse viri docti censent, quod nulla in eo Montanismi vestigia deprehendantur. In eo vero Libro accuratam O. D. expositionem exhibet, quam ita concludit: *Eo respondet CLAUSULA, interpretans quid sit, ne nos inducas intentationem: Hoc enim est, SED EVEHE NOS A MALO.* Tertullianum autem in hac explanatione S. Matthæi textum secutum esse, patet ex ejus præfatione in hæc verba: *Consideremus itaque, benedicti, cœlestem ejus Sophiam, in primis de præcepto secrete adorandi, quo & fidem hominis exigebat, ut Dei omnipotentis & conspectum & auditum sub tectis & in abditis etiam adesse consideret: & modestiam fidei desiderabat, ut quem ubique & audire & videre fideret, ei soli religionem suam offerret. Sequente Sophia in sequenti præcepto proinde pertinet ad fidem & modestiam fidei, si non agmine verborum adendum putemus ad Dominum, quem ultro suis prospicere certi sumus. Et tamen brevitatis ista, quod ad tertium Sophiæ gradum facit, magnæ ac beatæ interpretationis Substantia fulta est, quantumque substringitur verbis, tantum diffunditur sensibus. - - - Incipit a testimonio Dei & merito fidei, quum dicimus: PATER NOSTER. &c.* Habemus itaque apertam Tertulliani confessionem sua ætate *Clausulam O. D.* apud Matthæum his verbis fuisse comprehensam: Ἄλλ' ἔ

ῥύσασ

ῥῶσαι ἡμᾶς ἀπὸ τοῦ πονηροῦ. Neque vero hujus Viri autoritas ad solam Latinæ Versionis autoritatem redit, ad quam nonnulli eam reducere satagunt: etenim Cl. *Whitby* Libr. cit. p. m. 49. ob hanc rem acriter invehitur in *Millium* dicens: *Cur tam fidenter pronunciavit Tertullianum Virum græce doctissimum, loca a se citata ex Latinis Versionibus produxisse; PAMELIO etiam contradicente, eum non tam Latinis translatis, quam Græcis Codicibus veteribus usum esse* (*). Possem quidem ejusdem Scriptoris aliud in hanc rem testimonium ex *IV. adv. Marcionem Libro* excitare, ubi Orationem Domini strictim persequens ex singulis ejus Sententiis adversus Marcionem concludit, prætermissa quoque Clausula doxologica. Atqui vero manifestum est, *Tertullianum* ibi adversus Marcionem, qui ex Evangelistis solum *Lucam*, neque eum totum, admittit, disputantem, non *Matthæi*, sed *Lucæ* textum esse secutum; adeoque ad causam nostram nihil valeret. II. Qui proxime hunc excipit est *CYPRIANUS*, cujus extat in *Orationem Dominicam Libellus*,

Q 2

bellus,

(*) Immo admodum probabile est Tertulliani ætate ipsa sanctorum Virorum ἀνολογῶσα adhuc extitisse; de Præfer. Hær. Cap. XXXVI. ita scribit: „Age jam, quæ
 „ voles curiositatem melius exercere in negotio salutis
 „ tuæ, percurre Ecclesias Apostolicas, apud quas ipsæ
 „ adhuc cathedræ Apostolorum suis locis præsident, apud
 „ quas ipsæ AUTHENTICÆ Litteræ eorum recitantur,
 „ sonantes vocem & repræsentantes faciem unius cujus-
 „ que.„ Et quanquam, ut rectissime notant GROTIUS, HUETIUS, SIMONIUS, alique, authenticus Codex non semper idem est cum ἀνολογῶσα; in hoc tamen Tertulliani loco promiscue esse accipienda, ipse orationis contextus suadere videtur.

bellus, quem anno post C. N. CCLII. esse conscriptum admodum probabile est. Hunc Librum Augustinus passim laudat, imprimis vero in *Libr. de Grat. & Lib. Arb. Commoneo & exhortor, ut b. Cypriani Librum, quem scripsit de Oratione Dominica diligenter legatis, & quantum vos Dominus adjuverit intelligatis memoriaeque mandetis.* Studuisse autem Cyprianum Orationem Domini quantum fieri potuit integram & intemeratam conservare, ipse in exordio Libri his verbis declarat: *Quæ potest esse magis spiritalis Oratio, quam quæ a Christo nobis data est, a quo nobis & Spiritus S. missus est? Quæ vera magis apud Patrem precatio, quam quæ a Filio, qui est veritas, de cuius ore prolata est? Ut ALITER orare, quam docuit, non ignorantia sola sit, sed culpa. . . . Oremus itaque sicut Magister Deus docuit.* Is vero primum ipsam O. D. Formulam integram, at omissa Clausula, exhibet: deinde vero ejus tractationem his verbis concludit: *Post ista omnia in consummatione Orationis venit CLAUSULA, universas petitiones & preces nostras collecta brevitate concludens: In NOVISSIMO enim ponimus: Sed LIBERA NOS A MALO, comprehendentes adversa cuncta.* III. Cum hoc Teste conjungo Seculi IV. Scriptorem HILARIUM, qui in *Explanat. Matth. Canon. V.* adeo probavit superiorem Cypriani Libellum, ut ad hunc remittens ipse a tractatione O. D. manus abstinuerit: verba ejus ita habent: *De orationis autem Sacramenti necessitate nos commendandi CYPRIANUS Vir sanctæ memoriæ liberavit. Quanquam & TERTULLIANUS hinc volumen aptissimum scripserit. Sed consequens error hominis detraxit Scriptis probabilibus auctoritatem.* Quod si jam Rich. Simonium audiamus, Cyprianus potestatem sibi permisit adeundi fontes,

ac Græcum Sermonem pro lubitu suo vertendi, quandoquidem ejus Versio cum Vulgata Hieronymi non consentiat. *Hilario* autem Græcos Codd. non fuisse oclusos colligo ex *de Trinit.* l. 10. p. 253. *Nec sane ignorandum a nobis est, & in Græcis & in Latinis Codicibus quam plurimis* [Luc. XXII: 43. 44.] *vel de adveniente angelo, vel de sudore sanguinis nil scriptum reperiri.* IV. Testis quartus, isque gravissimus est **HIERONYMUS**, qui non tantum optimos suæ ætatis Græcos Codd. diligenter consuluit, sed etiam Latinam Interpretationem ad Græcos fontes emendavit: Ita in *Epist. ad Sunniam & Fretellam* profitetur: *Si quando apud Latinos in N. T. quæstio exorta est, & inter exemplaria varietas, recurrimus ad fontem Græci Sermonis, quo novum scriptum est Instrumentum.* Et in Præfatione ad *Damasum* in IV. Evangelia: *Novum opus me facere cogis ex veteri, ut post Exemplaria Scripturarum toto orbe dispersa, quasi quidam arbiter sedeam. Pius labor, sed periculosa præsumptio, judicare de cæteris ipsum ab omnibus judicandum. - - - Si enim Latinis Exemplaribus fides est adhibenda, respondeant quibus, tot enim sunt Exemplaria pene quot Codices. Sin autem veritas est quærenda de pluribus, cur non ad Græcam originem revertentes ea quæ vel a vitiosis Interpretibus male reddita, vel a præsumtoribus imperitis emendata perversius, vel a librariis dormitantibus aut addita sunt, aut mutata, corrigimus? - - - Igitur hæc præsens Præfatiuncula pollicetur IV. tantum Evangelia Codicum Græcorum emendata collatione, sed & veterum: nec quæ multum a Lectionis latinæ consuetudine discreparent: Ita calamo temperavimus, ut his tantum, quæ Sensum videbantur mutare correctis, reliqua manere pateremur ut fuerant.* Jam vero Textus Matthæi ex

ejus recensione habet: SED LIBERA NOS A MALO. AMEN. Commentarius perinde Clausulam ignorat. Possent quidem adversus hujus Testimonii luculentissimi vim & auctoritatem excipi & ad Clausulam O. D. accommodari, Hieronymum forte hoc ipso in loco rigorem criticum cauta quadam ratione temperasse, ne sua editio a Lectionis Latinæ consuetudine nimium discreparet. Verum huic scrupulo satisfecit vener. *Bengelius* Appar. crit. p. 466. „ Neque vero *Hieronymus* dum Latinæ „ recensione *Matthæi Canones Eusebii Cæsariensis* „ applicavit, in Græco *Eusebii* exemplari Clausulam, sub quam continuo novus Canon incipit, „ legit: Nam si legisset, tam insigni differentia „ Latini Interpretis & Græci Codicis Eusebiani „ inductus, saltem hoc, utrum probaret ipse „ Clausulam, an improbaret, adhibitis *Adamanti Pierique* Codicibus, indicasset in Scholiis, „ in quibus sine Clausula AMEN particulam attingit. Idem Pelagianos refutans, totamque Orationem Dominicam Libr. III. contra eos applicans, eo tandem devenit, ut dicat, credentes „ AD EXTREMUM inferre: SED LIBERA NOS „ A MALO; & Clausulam, quæ vehementer ad „ institutum pertineret, non attingit: cum tamen „ contra eosdem Pelagianos etiam illa verba alleget, quæ in quibusdam Exemplaribus & maxime in Græcis Codd. juxta *Marcum* in fine ejus Evangelii adscripta inveniri testatur. Recognitionem illam Evangelistarum dedicavit *Hieronymus Damaso*, qui anno CCCLXXXIV. obiit. At anno CCCXXIII. facta est, quæ in Libris contra Pelagianos memoratur *Marcellini cædes*: tantis temporum spatiis Clausulam ab *Hieronymo*, „ tam

„ tam multis tamque necessariis in causis non
 „ laudatam, & tamen in ullo Codice Græco,
 „ quamlibet tot regionibus peragratis, lectam ei
 „ fuisse, quis, qui Hieronymum novit, dicere
 „ sustinet? Plane ignota Hieronymo, ignota op-
 „ timis non solum Origenis, sed etiam Eusebii
 „ Codicibus Græcis fuit Clausula. „ V. His de-
 „ nique adjungo AUGUSTINUM, qui plurimis in
 „ locis O. D. scil. quater seorsim in *Sermonibus ad*
 „ *Competentes*, & simul cum *Sermone Domini in mon-*
 „ *te*, & in *Libro de orando Deo cap. XI. XII.* & in *En-*
 „ *chiridio* exponens & cum Luca accurate conferens,
 „ nihil de Clausula dicit. Addit vener. *Bengelius* ar-
 „ gumento ab Augustini Silentio repetito novam
 „ vim in Appar. crit. p. 466. dicens: „ *Valerius Hip-*
 „ *ponensis* Episcopus Græcus erat; itaque latinas
 „ pro eo conciones habebat presbyter Augustinus.
 „ Nunquam ne hancce *quotidianam*, ut idem Au-
 „ gustinus nec solus appellat, Orationem eos si-
 „ mul oravisse aut consideravisse dicemus? ergo
 „ saltem a Valerio, si is Clausula usus fuisset,
 „ Clausulæ notitiam accepisset Augustinus. Quan-
 „ quam ipse etiam, quum Libr. II. de *Sermone*
 „ *Dom. in monte* ait: *Ex uno Græco, quod dictum*
 „ *est ἐισερέχωνs utrumque inferas & inducas transla-*
 „ *tum est*: Græcos Codices sibi collatos ostendit,
 „ in quibus si Clausulam legisset, certe vel appro-
 „ bans, vel dubitans, vel reputans indicasset: „
 „ Quod posterius ex ejus ad Hieronymum Epistola
 „ X. adhuc luculentius patescit: *Proinde haud parvas,*
 „ *inquit, Deo agimus gratias, de Opere tuo, quod Evan-*
 „ *gelium ex Græco interpretatus es, quia pene in omnibus*
 „ *nulla offensus est, cum Scripturam Græcam contule-*
 „ *rimus, unde si quispiam veteri falsitati contentiosus fue-*

rit, prolatis collatisque Codicibus, vel docetur facillime, vel refellitur. Itaque prope usque ad finem Sæculi post C. N. quarti, quanquam plures essent & Græci & Latini Patres, qui Orationem Dominicam vel seorsim & dedita opera exposuerunt, vel in S. Matthæum commentarios scripserunt, quod Clausula O. D. per hoc tempus ut pars O. D. fuerit cognita aut usurpata, ejus rei nullum extat documentum: ut adeo merito fidem desiderem in Cl. *Withby*, quando affirmare non dubitavit l. c. p. m. 110. *Legas Clausulam apud OMNES Græcos commentatores in locum. Verius per CCC. prope annos apud NULLUM.*

§. VIII. Audiamus vero nunc etiam alteram partem, & quænam ex hoc genere in antiquitate præsidia inveniat Clausula O. D. doxologica dispiciamus. Primus, qui eam ut partem O. D. & quidem tanquam ab ipso Domino profectam venditat, est *Joannes CHRYSOSTOMUS*, Sæculi IV. præcipitis *Homiliae* & *Augustino*, ex superioribus Testibus extremo, fere æqualis. Hic duobus locis, nimir. *Homil. XX. in Cap. VI. Matthæi* hanc Doxologiam tanquam partem O. D. luculenter exponit: deinde *Serm. X. in varia N. T. loca* iterum ad hanc causam redit, ubi hæc leguntur: *Διὰ τοῦτο καὶ τῷ τέλει τῆς προσευχῆς, τοῦ Θεοῦ τὴν βασιλείαν, καὶ τὴν δύναμιν καὶ τὴν δόξαν ὑπέδειξεν, εἰπὼν. Ὅτι σου εἰσι ἡ βασιλεία, καὶ ἡ δύναμις, καὶ ἡ δόξα εἰς τοὺς αἰῶνας. Ἀμην. Ταῦτα γάρ φησιν αἰτῶ παρὰ σέ, ὅτι οἶδα σε βασιλέα πάντων, αἰώνιον κεκλημένον κράτος, καὶ πάντα δυνάμενον, ὅσα περ ἂν θέλης, καὶ δόξαν κεκλημένον ἀναφαίρειον.* Quidni jam ex hoc Testimonio colligamus *Chryso-*
mum

mum saltem in suo quo usus est Codice græco hanc Clausulam legisse? quanquam ERASMUS in suis *Annotat.* ne hoc quidem certo inde colligi posse existimet: Porro, inquit, qui ideo putant ab Evangelista fuisse additam, quod Chrysostronus interpretetur, levi nituntur argumento: Siquidem interpretatur ille, quod solennis usus Ecclesiæ græcicæ quotidie sonabat: perinde quasi quis enarrans Psalmos, interpretaretur solennem illam coronidem: Gloria Patri & Filio. &c. Nec mirum si hoc dignatus est facere Chrysostronus, cum in Homiliis diligenter exponat Hymnum, quo Monachi quidam soliti sunt consecrare convivium suum., In quo tamen Erasmus nimium τῆ ὑποθέσει δελεῦεν videtur: Chrysostronus enim Doxologiam non simpliciter, ut Hymnum illum Monachorum, sed diserte tanquam partem O. D. a Domino profectam enarrat. Quod si vero etiam concedatur, Chrysostronum Doxologiam in suo Codice Matthæi legisse, non tamen inde certo confici potest, fuisse tunc temporis hanc Clausulam communi Ecclesiæ consensu tanquam partem Orationis D. receptam: Par enim, ut recenti aliquo exemplo rem illustrem, Chrysostroni hic potuit esse ratio, quæ fuit b. nostri GUALTHERI, qui quum in suis Codicibus Clausulam hanc invenisset, sine ulteriore quæstionis examine, eam in suis in Matthæum Homiliis pro concione populi publice explanavit; quod exemplum deinde etiam secutus est b. m. BREITINGERUS noster in suis in O. D. Homiliis vernaculo sermone editis: Sed frustra esset, qui inde ad publicam & communem ejus ætatis de αὐθεντεία hujus Doxologiæ apud Matthæum fidem provocare ac concludere vellet; quum constet, eam ab Ecclesia Tigurina

per XC. annos non fuisse nec agnitam, nec usurpatam; & postquam deinceps satis longo tempore libertati Ecclesiæ fuisset permiffum eam vel adhibere vel non adhibere, anno demum superioris Sæculi XL. in univèrsum fuisse receptam; quod postremum me docuit venerandus ac eruditissimus Classis Transalbinæ Decanus J. JAC. HULDRI-CUS, Amicus ex paucis. Quapropter quamvis hoc lubentes largiamur, Chrysoftomum in suo quo usus est Codice hanc Doxologiam legisse, restat tamen adhuc disquirendum, unde hæc Clausula, quæ hæctenus per quatuor fere Sæcula tanquam pars O. D. fuerat ignorata, in hunc Codicem irrepsit; in quo decernendo, cum in neutram partem quicquam quod certum sit doceri possit, probabilissimas rationes sequi nos oportet. An vero probabile sit, eum, qui post CCCC. prope annos in Chrysoftomi manus pervenit, Codicem solum veram ac genuinam O. D. Lectionem, omnibus antiquioribus Patribus & univèrsæ Ecclesiæ Latinæ ignoratam, conservasse, aliis dijudicandum relinquo. Cæterum ad Chrysoftomi partes se adjungit *ISIDORUS Peleusiota*, Sæculi V. Monachus, qui in *Epistola ad Eutonium Diaconum XXIV.* in summaria Orationis Dominicæ recapitulatione Clausulam bis proponit, omisso tamen Ἀμήν: Huic vero tanquam discipulo ac superstizioso Chrysoftomi cultori, nec non acerrimo ejus vindici, non magis quam THEOPHYLACTO, Seculi XI. Scriptori, fidelissimo Chrysoftomi Epitomatori, sejunctum a Chrysoftomo in hac causa suffragii jus tribui posse arbitror. II. Secundus ergo Testis erit pseudo *Clemens Rom.* seu quisquis Autor fuerit **CONSTITUTIONUM APOSTOLI-**

STOLICARUM : In his Libr. III. c. 18. & Lib. VII. c. 24. Oratio Domini, quam, ut loquuntur, ὁ Κύριος ἡμῶν ἐν τῷ Ἐυαγγελίῳ διετάξατο, bis repræsentatur, addita utrobique Clausula. Atque profecto hoc Testimonium ingens pondus haberet, si horum Librorum inscriptioni operis ratio responderet: Sed vel in vulgus notum est, eam esse hujus Sylloges Constitutionum rationem, ut quæ pauca forte Sæculi III. labentis usum referentia supersunt, a sequioribus & varie interpolatis ac ab Apostolorum Spiritu mirum in modum abludentibus nulla ratione amplius possint discerni: Atque totum opus Διαλλαγῶν vix ante Sæculi V. exitum esse consarcinatum sagacissimi harum rerum judices statuunt, inscripto tamen Apostolorum & Clementis nomine, ut huic operi aliquam auctoritatem conciliarent. Testes ergo ex Classe Patrum ecclesiasticorum, quorum testimonium in alterutram partem aliquod pondus habet, hi fere sunt:

Qui Clausulam O. D. ignorant:

1. TERTULLIANUS. An. post C. N. CL.
2. ORIGENES. CCXXXI.
3. CYPRIANUS. CCLII.
4. CYRILLUS Hierosol. CCCXLVIII.
5. HILARIUS. CCCL.
6. GREGORIUS Nyssenus. CCCLXXX.
7. CÆSARIUS. CCCLXXX.
8. HIERONYMUS. CCCLXXX.
9. AUGUSTINUS. CCCXC.

Qui

Qui Clausulam O. D. admittunt:

1. CHRYSOSTOM. anno p. C. N. CCCXC.
2. CONSTITUT. APOSTOLIC. CCCCXC.
3. *Isidorus Peleusiota*. CCCCLX.

§. IX. Non possum autem hoc loco silentio præterire LUCIANUM *Samosat.* ad cujus testimonium quidam in hac causa provocant, & quo solo Clausulam jam Sæculi post C. N. secundi initio O. D. adhæsisse, luculenter probari posse contendunt; quod Cl. *Olearius* Obs. XXIV. in Matth. p. 216. confidenter asserit. Scilicet LUCIANUS, qui in *Philopatride*, ut alios Christianorum mores, ita precandi quoque formulas perstringens, ita sub finem fere Libelli *Triphontem Critiæ* respondentem inducit: "Ὡς εἴασον τέτους, τὴν εὐχὴν ἀπὸ Πατρὸς ἀρχάμενος, καὶ τὴν πολυώνυμον ὠδὴν ἐς τέλος ἐπιθέεις. Manifeste, inquit *Olearius*, his Orationem Dominicam respicit, cujus initium est ἀπὸ Πατρὸς, quod prima ejus verba sint πάτερ ἡμῶν. Finis vero est πολυώνυμος ὠδὴ, nempe Δοξολογία, in qua varia βασιλείας, δόξης, δυνάμεως nomina conjunguntur. At quotquot Viri docti hæc Luciani verba animo a partium studio vacuo expendunt, hanc interpretationem, seu potius violentam ad hypothesein accommodationem rejiciunt, ex quibus vel solos duumviros *J. Alb. Fabricium* & *Matth. Gesnerum* nominasse sufficet. Designasse quidem Lucianum per εὐχὴν ἀπὸ Πατρὸς ipsam Orationem Dominicam in eo omnes conveniunt: Sed per πολυώνυμον ὠδὴν ejusdem Orationis Clausulam doxologicam esse intelligendam, nemo qui Luciani orationem ac maledicendi virus assequitur, sibi poterit persuadere: primo enim illa Ἀβιολογία, ὍΤΙ σὺ εἶσιν ἡ βασιλεία, καὶ ἡ δυνάμις,

ναμιας, καὶ ἡ δόξα εἰς τοὺς αἰῶνας, imperite ac no-
 va appellatione ΩΔΗ fuisse dicta: deinde quam
 πολυωνυμίας rationem affert Olearius, ea tam di-
 luta est, ut non tantum omni Doxologiae con-
 veniat, sed praeterea etiam de omni oratione, quae
 plura de aliqua re praedicat, perinde accipi possit:
 Quid apud gentiles πολυωνυμία in Hymnis & Pre-
 cibus fuerit, satis notum est, & apprime in hanc
 rem facit Timonis apud Lucianum iocus, quo
 Poetas perstringens, Jovem, ubi metra deficient,
 πολυώνυμον continuo fieri, illis objectat: ὦ Ζεῦ
 φίλιε, καὶ ξένιε, καὶ ἑταιρεῖε, καὶ ἐφέσειε, καὶ ἀσε-
 ροπήλα, καὶ ὄρηιε, καὶ νεφεληγερέτα, καὶ ἐρίγδυπε,
 καὶ εἰ τι σε ἄλλο οἱ ἐμβρόντητοι ποιήσαι καλοῦσι, καὶ
 μάλιστ' ὅταν ἀπορῶσι πρὸς τὰ μέτρα. Τότε γάρ
 αὐτοῖς ΠΟΛΥΩΝΥΜΟΣ γινόμενος ὑπερείδεις τὸ πίπ-
 τον τοῦ μέτρου, καὶ ἀναπληροῖς τὸ κεχρηθὲν τοῦ ῥυθ-
 μῶ. Ut h. l. Lucianus sub Timonis persona hanc
 Jovis πολυωνυμίαν, qua Poetae ad fulciendam la-
 bantem ac hiantem carminis majestatem abutan-
 tur, false ridet; ita non est dubium, quin sub
 Triphontis persona hanc πολυωνυμίαν in certa ali-
 qua ac Christianis solenniter usurpata ὩΔΗ taxare
 ac perstringere voluerit: Hujus enim Dialogi au-
 ctori, quisquis fuerit, non ignotam fuisse Sacro-
 rum Christianorum rationem, & quanto studio
 Hymnis & Ὡδαῖς fuerint dediti ex ipso hoc Dialo-
 go constat: supra §. 26. hoc ipsum Christiano-
 rum studium non obscure carpit, dicens ipso-
 rum nomine: Ἐλεγον γὰρ ἡλίως δέκα ἄστροι διαμενῶ-
 μεν, καὶ ἐπὶ παννύχως ὑμνωδίας ἐπαγρυπῆτες, ὄνει-
 ρώτομεν τὰ τοιαῦτα. Post decem dierum jejunia, qui-
 bus pervigiles noctes ducimus, cantibus haec talia som-
 niamus. Et quam in Christianorum Ὡδαῖς πολυωνυ-
 μιᾶ

νομίων *Scelestus Scurra* impio ore rideat, supra *S.*
II. impia parodia expressit, quam Critias his ver-
 bis excepit: Ἀριθμέειν με διδάσκεις, καὶ ὄρκος ἢ
 ἀριθμηλική· ἐκ οἴδα τί λέγεις, ἐν τρία, τρία ἐν.
 Adeoque rem ipsam dicunt, qui h. l. a personato
 Triephonte antiquissimum illum Hymnum eccle-
 siasticum quem diluculo in precibus, publicis
 partim, partim privatis, canere erant soliti Chri-
 stiani, indigitari perhibent, de quo videnda eru-
 dita *Th. Smithi* commentatio, *Usserius* de *Symbolis*
p. 41. Bona. Lib. II. rerum Liturgic. c. 4. Caveus in
Disf. de Libris & officiis græcorum ecclesiast. Hunc
 autem Hymnum, etiam bono sensu, πολυώνυμον
 ᾠδὴν audire posse, quivis ex hac, quam subjiciam
 pericopa intelliget: Κύριε βασιλεῦ· ἐπεράνιε· Θεὲ
 πατὴρ, παντοκράτωρ· Κύριε υἱὲ μονογενές· Ἰησοῦ Χρι-
 στῆ· Καὶ ἅγιον Πνεῦμα· Κύριε ὁ Θεός· Ὁ ἄμνος τῷ
 Θεῷ· Ὁ Ὑιὸς τῷ Πατρὸς· Ὁ αἴρων τὰς ἀμαρτίας τῷ
 κόσμῳ· κ̄λ. Est autem ut vener. *Bengelius* rectis-
 sime notavit in Triephontis oratione manifestum
 antitheton, primum inter Ἐυχὴν & inter ᾠδὴν·
 deinde inter *Patris* nomen, & inter *multa nomina*;
 atque ita distinguuntur ab invicem simplex illa
 Ἐυχὴ ἀπὸ Πατρὸς & πολυώνυμος ᾠδὴ, ut non possit
 hæc posterior ullo modo de parte extrema ejus-
 dem Ἐυχῆς accipi. Et male a nonnullis ἀπὸ Πατ-
 ρὸς conjungitur cum ἀρξάμενος, ita enim in ora-
 tionem induceretur hiatus: at vero illa Ἐυχὴ ἀπὸ
 Πατρὸς, quin totam formulam nulla parte ejus ex-
 clusa indicet, dubium nullum est. Immo aliquan-
 do putavi illud ἐς τέλος ambigue dictum perinde
 cum ᾠδῇ conjungi posse, ut ita suggillaret Trie-
 phon illud plurimorum Psalmorum initium: Ἐς
 τὸ τέλος ᾠδῆ, vel ᾠδῆ Ψαλμῷ ἐς τὸ τέλος. Neque
 vero

vero, etiamsi daretur Lucianum per πολυώνυμον ᾠδὴν Clausulam seu Ætiologiam doxologicam O. D. adjectam intellexisse, ex hoc testimonio confici posset, quod vult *Olearius*, eam jam tum temporis tanquam partem Orationi Domini adhæsisse: Tantum hoc abest, ut hoc καὶ ἐς τέλος ἐπιθεῖς potius diserte doceat, id quod finita Oratione Dominica ex solenni Christianorum usu sub nomine πολυωνύμῃ ᾠδῆς fuerit adjectum, ab ipsa O. D. formula fuisse quid plane distinctum, adeoque Doxologiam illam jam tum temporis ex usu Liturgico finita Oratione Dominica addi fuisse solitam. Immo si Triephontis orationem adtente inspiciamus, manifestum est, impudentissimum nebulonem & Dominicæ Orationis simplicem stili humilitatem & Hymnorum affectatam sublimitatem, quam Christiani in suis Sacris inepte copulerint, perstringere: Atque Triephontis verba ita reddenda: *Quin igitur hos missos facis, illam precum formulam, quæ a Patre denominatur, recitare instituens & Hymnum multinomium ad finem superaddens. Quasi Christiani his formulis & ipsi Sacra finire & cætus dimittere fuerint soliti.* Equidem & præcox ille Vir juvenis eruditus J. PHIL. BARATERIUS in suo *Anti-Artemonio* P. I. Cap. XIV. hanc Quæstionem, quid in Luciani Philopatride per πολυώνυμον ᾠδὴν intelligendum sit? aggreditur, multisque eam operose persequitur. Is vero rejecta citra omnem dubitationem illa Sententia, quæ de Clausula O. D. accipiendam esse temere statuit, unice favet alteri illi, quæ de Hymno ecclesiastico eam interpretatur. In eo tantum a nobis discedit, quod hanc πολυώνυμον ᾠδὴν mavult de altero Hymno accipere, quem *Apostol. Constitutiones Lib. VIII.*

VIII. Cap. XIII. repræsentant, cujus initium: *Εἰς ἅγιος, εἰς Κύριος, εἰς Ἰησοῦς ὁ Χριστός. κτλ.* In quo ea maxime ratione nititur, quod iste Hymnus ex antiqua Ecclesiæ consuetudine ante Cœnam S. proxime post Orationem dominicam fuerit recitari solitus. Sed accidit nobis in hac Disputatione, quod Vir Celeberr. & *κριτικώτατος* J. MATH. GESNERUS in altera illa de ætate & auctore Philopatridis controversia sibi accidisse profitetur: „ Neque protulit quicquam, inquit, doctissimus „ puer [quo nomine honoris causa hic utor in „ eruditissimo quatuordecim annorum homi- „ ne] BARATEKIUS, quod dimovere nos de „ nostra sententia debeat. Favebam ætatulæ ho- „ minis ista scribentis, ignoscebam puero absur- „ ditatis accusanti, quæ neque cognovisset satis, „ neque intelligere dum posset: lubens me disci- „ pulum illi in re tali præbuissem. Sed nihil di- „ xit, quod non dictum, quod non refutatum „ sit. Molliter inter rosas violasque quiescant „ ossa hominis emendaturi, si licuisset, illa *παι- „ δαριώδη καυχήματα.* „ Id unum attigisse suffi- „ ciat, præcocem hunc eruditum Triephonti Oden hanc *πολυώνυμον* dici ob *celebritatem* existimare: quo nihil magis frigidum & sine sale dici posset.

§. X. Sed audiendi nobis sunt quoque Testes ex altera Classe, qui superiores illos antiquitate adhuc superant, sc. antiquæ N. T. VERSIONES, quæ immediate ex Græco fonte fluxerunt, quatenus nimir. illas intemeratas ad nos pervenisse certum est. I. Ex his primum in medium produco LATINAM Interpretationem omnium antiquissimam, utpote quæ ab ipsis propemodum Apostolorum tempori-

temporibus, certe sub Sæculi II. initia ad optimos Græcos Codices adornata fuit: quam deinde, postquam interpretandi licentia & varietate magno-
 pere fuisset turbata ac contaminata, sub incudem revocavit, & Græcorum Codicum ope emenda-
 tam pristino suo nitore restituit *HIERONYMUS*: Neque, quod supra jam monui, ulla alia extat
 Interpretatio, cujus antiquæ, si non primæ, Le-
 ctionis fides tot ex antiquitate testimoniis maxi-
 mam partem sit confirmata. Quapropter cum
 antiqua Latina, [sive etiam plures fuerint,] qualis
 ante Hieronymi tempora fuit, & in commentariis
 Patrum Hieronymo antiquiorum conservatur, in
 expungenda apud Matthæum O. D. Clausula, cum
 Hieronymiana castigata conspiret, dubia & suspe-
 cta non potest non esse hujus Læctionis antiquitas,
 quicquid etiam de hodiernæ Vulgatæ Editionis
 conditione & auctoritate statuatur: Immo hujus
 testimonii vim non unius tantum Græci Codicis,
 ex quo Translatio facta est, auctoritatem exæqua-
 re, sed latius adhuc patere & ad universæ Latinæ
 Ecclesiæ fidem pertinere, recte monitum est a b.
 m. *Conr. Pellicano* nostro ad h. l. *Quod si quis con-
 tendat a Christo adjectam Clausulam, necesse est fatea-
 tur, omnes nostros & Romanam Ecclesiam & Africa-
 nam non recte legisse.* Hoc vero si admittatur, mi-
 rum utique est, hanc tam notabilem in truncanda
 Orationis formula, ab ipso Domino in exemplum
 præscripta, licentiam Latinis a Græca Ecclesia
 nunquam fuisse objectam, cum tamen constet,
 quantæ inter illos contentiones de rebus longe mi-
 noris momenti aliæ ex aliis fuerint excitatæ. II.
 Alter ex hoc genere Testis est *Versio COPTICA*: eam
Cl. Millius Prolegom. p. 152. unam ex primævis esse
Tem. V. *R* *laudat,*

laudat, quæ ex fonte Græco profluxerit & ad optimum expressa fuerit exemplar: Et quanquam Cl. *Wetstenius Prolegom. C. IX.* illam *Origenis & Eusebii* ætatem superare neget; nihilominus tamen eam cum *Millio* magni æstimandam esse, quod omnium accuratissime ad emendatos Græcos Codices fuerit adornata, confitetur. Varias ex hac Versione Lectiones collegerat *Th. Marechallus*, Evangelii Gothicis ex parte adpersas: ubi p. 466. hæc habet, quæ ad causam nostram pertinent: *Nec volam hujus Clausulæ O. D. nec vestigium reperio in Translatione COPTICA [quod etiam de ÆGYPTIACO quodam Codice notabatur in margine Manuscripti Arabici, citati a Petr. Kirstenio ad Matth. VI: 13.] uti nec in Versione Arabica, quæ habetur in Bibliis Polyglottis Londinensibus, nec in illa, quæ prius Romæ prodiit. Atque etiam teste vener. Bengelio Appar. crit. p. 463. In COPTICO MSC. suo, perinde ut in editis, extare Clausulam negat Maturinus VEYSIERE DE LA CROZE. III. His adjungo Versionem ARABICAM, cujus sex editiones commemorat Vir Clariss. *Christ. Bened. Michaelis* in *Tractat. crit. de var. LL. N. T. caute colligendis & dijudicandis*, novissime edita: ex quibus nonnisi una *Erpenii IV. Evangeliorum Clausulam* apud *Matthæum* exhibet; reliquæ omnes eam ignorant. At non ea est hujus Versionis per plures editiones propagatæ, vel si etiam diversæ fuerint, antiquitas, ut idonei Testis in hac causa auctoritatem habeant. Miror igitur qua fiducia Cl. *Whitby* libr. 5. cit. p. m. 110. ausus fuerit asserere: *Reperies hanc Clausulam in omnibus Orientalibus Versionibus.**

§. XI. Ex altera vero parte pro tuenda Clausulæ O. D. *αὐθεντικῆ* producimus I. Testem Versionem SYRIACAM, quæ sine dubio antiquissima est, & ut Cl. Michaelis censet, *antiquitate nihil vel parum cedit Latinorum Vulgatæ: Est enim probabile, ut idem in annotat. ad J. A. Bengelii Tractat. de Sinceritate N. T. Græci tuenda loquitur, Ecclesiam Syriacam, in qua vel nomen Christianorum primum auditum, Act. XI. 26. & ex qua Evangelium Christi quaquaversum propagatum fuerit, Evangelistarum & Apostolorum Scripta, quorum canonica auctoritas extra controversiam fuit, in Linguam suam conversa jam a primordiis suis habuisse. Sed non quæritur, qualis olim fuerit, sed qualis illa sit, qua nos hodie utimur. Certe Andr. Mullerus in Disfert. de Versionibus Syriacis scribit: *Damus sane, antiquissimis temporibus N. Testamenti Syriace lectos esse sacros Libros; sed nostros eos esse, in quos ex. g. Jacobus Syrus Nisibensis & Ephrem commentati sunt; equidem non ausim affirmare. Quod etiam Fabritius Biblioth. Græc. Libr. V. c. 2. p. 321. suo suffragio confirmat. Constat autem documentorum fide, novam factam esse Translationem IV. Evangelistarum Syriacam a Xenaja Magubensi, seu Philoxeno Hierapolitano anno post. C. N. DVIII. quæ dein anno post C. N. DCXVI. a Thoma Heracleensi, Alexandriæ in Ægypto in monasterio Antonii ad trium Codd. Græcorum fidem est emendata: Vide Jo. Lamii de erudit. Apostol. p. 300. Atquæ quum hodie non alii extant Syriaci Codices, quam qui ex hac a Thoma Heracleensi reformata editione descripti & propagati sunt, quid mirum O. D. Clausulam apud Matthæum in editis nostris Libris haberi: Quis autem nobis fidem faciet in antiqua**

illa & *simplici* Versione Syriaca perinde lectum fuisse? Ut nihil jam dicam de eo, quod novissimæ editiones nostræ a *Gutbierio* & *Carol. Schaafio* vim aliquam passæ sunt, ut qui non dubitarunt quamvis reclamantibus omnibus MSS. Codd. locum I. Joh. V. 7. ex Tremellii notis descriptum ipsi Textui sacro intrudere. Versionem autem *PERSICAM*, ad quam nonnulli in hac causa provocant, inter idoneos Testes commemorare supersedeo, quia non ex Græco fonte, sed ex Syriaca Translatione derivata est, adeoque nullum per se suffragii jus habet. II. Secundum Testem excito *ARMENAM* [*] Versionem, de cujus auctoritate ven. *Bengelius* in nupera Tract. de Sincerit. Textus N. T. p. 12. hæc habet: „*ARMENA* facta est circa annum *CCCCX*. *Res nota est*, inquit *Gregorius Scholias* *Syrus* Pl. XV. *Armenios*, *quamvis e Græco transtulerint*, *tamen cum Syriaco postea exemplar contulisse suum*, & *illud singulis in locis concordans fecisse*. Vid. *Walton*. Proleg. XIII. Etenim *Armenii Athenas*, *Byzantium*, *Edeßam*, & *Alexandriam* dociles miserunt juvenes, qui multum profecerunt. Eo in numero erant *Moyfes* & *David*. Hi *Scripturam S.* aliosque libros ex *Græca* & *Syriaca* lingua in *Haicanam* sive *Armenam antiquam* transtulerunt. Docet hoc *Jo. Joach. Schræderus* in *Thesauro Ling. Armenæ*, in *Disfert.* p. 34. *Multis post Sæculis ad Latinam* quoque versionem *Armena* est revocata, ut ostenditur in *Apparatu* p. 760. Quod si *Usca-*
 „ *nus*,

[*] De *Armena* Versione vide *Nachrichten von einer Hallischen Bibliothek* p. 141. seq.

nus, Bibliorum Armenorum editor, Latinæ
 versioni, ut nonnulli suspicantur, interdum
 est obsecutus, quis Armenam Versionem Sæ-
 culi V. a ceterioribus lectionibus internoscet?
 Equidem cum Clausulam O. D. exhibeat, in eo a
 Latina Interpretatione disfidet; sed admodum pro-
 babile est eam ex Syriaca Translatione esse additam.
 III. Addo tertio loco Versionem ÆTHIOPICAM,
 quam ad Copticam multis in locis esse reformatam
 mirum non est, quum Æthiopica ecclesia Alexan-
 drinæ filia fuerit. Atque etiam Vir Clariss. *Jobus*
Ludolfus Præfat. in Lexic. & Grammat. Æth. post-
 quam monuisset, auctores Romanæ editionis in
 Actis Apostolorum ob defectum archetypi multa
 ex Latinis vertisse, subjicit: *Verendam est, ne idem*
in cæteris N. T. Libris fecerint; quippe Æthiops meus in
multis eos differre ajebat ab Exemplaribus MSS. patriæ
sue. Quicquid autem de hoc sit, Æthiopica hæc
 Translatio, quod supra de Arabicis quoque nota-
 tum est, non tantæ est antiquitatis, ut ejus Suf-
 fragium in hac causa possit esse alicujus momenti.
 Testes igitur ex Classe Versionum, quorum testi-
 monium in utramque partem pro diversa vel æta-
 te, vel conditione aliquod momentum habent, hi
 fere sunt:

Quæ Clausulam O. D. exhibent:

1. SYRIACA, antiquissima, sed Sæculo VI. &
 VII. interpolata.
2. ARMENA, Sæculi V. ex parte Syriacæ pro-
 pago.
3. Æthiopica & ex Arabicis una *Erpeniana*: Sed
 hæc juniores.

Quæ Clausulam ignorant:

1. LATINA, antiquissima, cujus Lectionis fides jam Sæculo II. est confirmata.
2. COPTICA, Sæculi ad minimum III. ineuntis.
3. Arabicæ plures: quæ vero juniores sunt.

§. XII. Quod ad tertiam Classem Testium adinet, scil. MSS. Codices hodie adhuc superstites, omnis causæ hujus disceptatio redit ad solos illos Codices, qui Matthæi Evangelium complectuntur, exceptis tamen iis, in quibus Matth. VI: 9-13. deficit; cujus generis sunt *Alexandrinus*, *Augustanus* 3., *Colbert.* 3. 5., *Laudinus* 1. *Moscuenfis*, *Parisin.* 9. *Wolf.* 2. &c. &c. Reliqui prope omnes vix *Theophylacti* ætatem attingunt, & minimum X. Sæculis ab ætate Apostolorum distant: Quatuor tantum, aut sex restant, qui hanc ætatem superant, & in illis vix unus & alter est, qui ad VI. post C. N. Sæculum ætate accedat, infra quod descendere, ob rationes quas supra jam explicavi, in hac Quæstione mihi non consultum videtur. Exhibent tamen hanc Clausulam Codex *Basileens.* B. VI. 27. quem Sæculi X. æstimat *Cl. Wetstenius* Proleg. p. 55. atque in Evangeliiis vetustissimam Lectionem referre contendit: 2.] Codex MSC. membranaceus pervetustus optimæ notæ, num XXIX. cujus margo hac annotatione distinguitur: Τὸ δὲ· Ὅτι οὗτοι εἰσὶν ἡ βασιλεία καὶ ἡ δύναμις καὶ ἡ δόξα, ἐν τισὶν ἔκκεται μέχρι τῆς Ἀμήν. 3. Tale fortasse exemplar fuit, ex quo Græca in bilinguem *Cantabrig.* transfumta sunt, Clausula utrinque carentem. Totam itaque hanc Tractationem concludo vener. *Bengelii* verbis Appar. Crit. p. 423. Super-

*Superstites hodie Codices Græci omnes Hieronymo, ple-
rique etiam Photio, immo Theophylacto sunt ceteriores.
Hanc tantam Codicum ab ætate Apostolica distantiam,
eorundemque inter se arctam propinquitatem, & compa-
ratam ad Codices deperditos paucitatem, quisquis intelli-
git: hic nulla se lege, nulla ratione adstrictum putabit,
ut præ iis ubique omnes alias genuinæ Lectionis indagi-
nes, divinitus conservatas, fastidiat; neque in numero
Codicum ineundo morose adhærescet: Sed decisionem in
Lectionibus serius invecit & in Codices cæteroqui propa-
gatis repetet altius.*

Ἔως ἂν παρέλθῃ ὁ Ὀυρανὸς καὶ ἡ Γῆ, ἰῶτα ἐν ᾧ
μία κεραία ἔ μὴ παρέλθῃ ἀπὸ τοῦ νόμου.

Matth. VI: 18.

FINIS.

